



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 50. Deliberationes de schismate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Barianum, quem dixit Cardinalem Dia-
conum de S. Nicolao. Denique Cardi-
nalis Pilus Pratinus Ravennæ Archiepis-
copus, qui ab Urbano ad Clementem
transierat, & hujus Legatum in Italia
tunc agebat, ad Bonifacium se contulit,
ac receptus ab hoc fuit ut Cardinalis: vo-
cabatur ludibrii causa Cardinalis trium
pileorum.

Sæcul. XIV.
A. C. 1389.

Vitæ to. I.
p. 542. 1363.

§. L.

Deliberationes de schismate.

Avenione comperto Papæ Urbani obitu
Clementis Cardinales ingressi pala-
tium consilia cum eo conferebant, schis-
ma finitum iri magnopere sperantes.
Nam pro certo habebant, Cardinales Ro-
mæ non facile intraturos conclave, sed
potius ad partes Clementis accessuros.
Edoctum de morte Urbani Gallorum Re-
gem orabant, ut cognatos suos Germa-
niæ, ac Hungariæ Reges, Ducem Au-
striæ, ac Vertusii Comitem Mediolani
Dominum ad deferendas Urbani partes,
& curandam Ecclesiæ concordiam litteris
adhortaretur. Clemens, & Cardinales
scribebant etiam Burgundiæ Duci tunc
Parisiis apud Regem versanti.

Froiss. 4. vol.
c. 10.

Hic ea de re cum illo loquens, Mi pa-
truel! inquiebat, magnum me tenuit de-
siderium eundi Romam numerofo cum

Ff 4

exer-

Sæcul. XIV.
A. C. 1389.

exercitu schismaticos ut everterem. Sed antipapa decessit; rogorque, ut scribam Principibus ejus partium. Quid suades mihi? Dux reponebat: Auguste Rex! Urbanus vixit: sic est. Sed haud novimus animos Cardinalium Romæ agentium, ac Romanorum. Vix, ac ne vix quidem speranda Cardinalium discessio de sententia: nam Romani eos in potestate tenent sua: & quemadmodum eos adegerunt, ut Archiepiscopum Barianum eligerent Papam, sic eos cogent conclave ingredi, & facere Papam urbi acceptum. Non est proin, cur modo curam huc nimiam conferas, aut ores hos Principes: qui hoc in statu rerum tuis studiis servirent parum, ut satis monstrarunt hactenus. Nuncios expecta novos! Posset contingere, ut Cardinales Romæ ex composito dissimulatione uterentur erga Romanos, & omissa electione Papæ novis placandis promitterent se facturos, ut Clemens Romam veniat; quod ageret lubens: & postquam de hac re convenisset, tum foret tempus scribendi cunctis alterius partis Principibus.

Ducis sententiam probavit Rex cum Consiliariis suis omnibus. At nuncius mortis Urbani in Universitate Parisina tantos effecit motus, ut loco lectionum disputaret, quid Romæ Cardinales facturi essent; Papamne cooptarent, an Avinionensi

nionensi se submitterent. Sciebat probe, Sæcul. XIV.
Clementem scripsisse Regi, Consilio ejus, A. C. 1389.
Turonixque, ac Burgundiæ Ducibus.
Quin etiam ipsa litteras a Clemente ac-
ceperat. Misit proin suorum clarissimos,
qui Regem incitarent, ut alterius partis
Principes ad tollendum schisma per lit-
teras induceret. Oratores S. Pauli tem-
plo proximum palatium, ubi Rex tunc
habitabat, ter adibant: nec responsum
nacti offensis recedebant animis. De-
mum paucis post diebus comperta est ele-
ctio Bonifacii.

Mortuo Urbano Burgundiæ Dux, ac
focer ejus Comes Flandriæ Leodienfes
Canonicos impellebant, ut schismatis fi-
niendi causa se Clementis partibus ad-
jungerent. Collegium respondit: Per *Rayn. 1390.*
Urbani obitum non desinit ejus electio *n. 19.*
esse legitima, ideoque non minuitur jus
successoris ex præscripto canonum co-
optati: res veniret in exemplum Præsu-
libus cunctis, ipsisque Principibus pericu-
losum, si auctoritatem eorum vocare in
dubium, & obedientiam abjicere licitum
subiectis foret. Epistola data est nonis
Januarii an. 1390.

§. LI.

*Rex Navarræ Partes Clementis su-
scipit.*

Mox dein Navarræ Rex novus Caro-
lus

Ff 5

lus